DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
DE

DYSENTERIA EPIDEMICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM

pro

Doctoris Medicinae et Chirurgiae Laurea

RITE OBTINENDA

in celeberrima

ACADEMIA JOSEPHINA,

publicae disquisitioni submittit

Carolus Esch,
Austriacus Moosbrunnensis,
Medicus castrensis.

In theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die mensis anni 1842.

Vindobonae.

Typis Caroli Ueberreuter.

Prooemium.

Ad capessendam supremam doctoratus lauream, leges academicae dissertationem inauguralem, de objeeto ad rem medicam spectante, publicae disquisitioni submittere jubent; quibus ut satisfaciam Dysenteriam epidemicam selegi, quem morbum rite observare mihi saepius occasio data fuit. Persuasus sum, hancce elaborationem multis erroribus scatere, sed lector benevole perpendas, angustias temporis ad elaborandum dati, exiguam quam mihi licuit in scientia medica colligere experientiam et quoties quid manci reperies, considera me non ex pruritu scribendi sed ex lege hancce tractatiunculam, suscepisse.

De Dysenteria in genere.

Etymologia et definitio.

Dysenteria, vox graeca e: δυρ difficilis et εντερον intestinum composita, voce latina difficultas intestinorum audit. Vocatur etiam fluxus dysentericus; fluxus cruentus cum tenesmo; rheumatismus intestinorum; vocabulo gallico Dysenterie; anglico Dysentery; bloody Flux; italico Dissenteria, germanico Ruhr.

Secundum diversas a variis Auctoribus adsumptas denominationes, sub dysenteriae nomine corporis totius adfectionem febrilem, in intestina, maxime crassa, furientem, aestatis sub fine in serum autumnum satis raro maturius epidemicam, interdum sporadicam cum torminibus, continuo ad alvum deponendam, sed innani fere stimulo et puriformis, saepe cruentae materiae e recto intestino frequenter plus minus inflammato, sub diro tenesmo, defluxu intelligimus.

Hypotyposis.

Hic morbus nonnunquam absque prodromis intrat, dum homines plectit robustos, plethoricos, dum indoles ejusdem inflammatoria, hypersthenica, psyxin, aut miasma peculiare pro matre agnoscit. Si vero homines magis debiliores adgreditur, vel, si sporadice evol-

vitur, eo magis praecursoriis quibusdam symptomatibus sanitatis laesae adventum adnuntiat. Oriuntur nempe horrores cum frigore sat notabili et per horas adeo extensi; ponderis ad ventriculum ingratus sensus, oris amarities, nausea, vomituritiones, lassitudo, animi morositas, tensiones in artubus, tormina circa umbilici regionem, alvum annunciantia, quin tenesmus apud omnes tam cito se prodat, succedunt. Quandoque inflatio abdominis cum flatibus crebro elisis accedunt; in aliis cephalaea, lingua spurca, pulsus frequentiores contracti duriusculi morbum imminentem adsignant. Mox tormina, seu dolores pungentes, lacerantes, contorquentes regionem umbilici inprimis, interdum tamen integrum quoque abdomen tenentes, exoriuntur, tenesmus ad anum, foecum evacuationis suppressio, vel materiae, nunc albescentis, nunc sanguineae, nunc viridis perpaucae, specifico fere odore foetentis, sub diris ac frequentius frequentiusque redeuntibus torminibus fit evacuatio. Nonnunquam contingit in quibusdam praecipue in pueris, ut anus ob dejectionum frequentiam et nixus vehementiam prolabatur, et nisi promptius reposita, stranguletur et cito gangraenescat. Febris fere semper fidelis observatur dysenteriae comes, typum observans ab initio manifeste remittentem. Non tamen ubique, atque per integrum hujus morbi decursum febris eodem semper charactere incedit; ast pro diversitate epidemicae constitutionis, therapiae adplicatae et aegri constitutione mox inflammatorio, mox adynamico, mox septico insignitur charactere. Multis saepe aegris contingit, ut nec horrore, nec calore morboso vexarentur, pulsuum vix manifesta occurrat frequentia, quo fit, ut nonnulli dysenteriam absque febri comite incedere posse existiment. Quam tamen opinionem eo, quod morbus hic certas fere per horas aliquomodo remittat, vespertino autem, vel noctis tempore, quo accessiones febriles exacerbari consueverunt, magis furiat, refutandum esse putamus.

Sedem hujus mali investigantes non aliam, nisi intestina, praeprimis crassa et praecipue colon et rectum, nonnunquam et tenuia adsummendam esse, neminem latet.

Intestina crassa solummodo pati, dolor in hypochondriis perceptus, obtusus et remittens demonstrat. Si autem tenuia morbo plectuntur: nausea, anxietas, dolor ad umbilicum acerbus, scindens, contorquens ab aegro adcusatur.

Aetiologia.

Origo dysenteriae, sicut catarrhi et rheumatismi longe frequentissima ex epidemico atmosphaerae influxu, rarior ex noxis sporadicis repetenda sunt. Subitaneae temperaturae vicissitudines, repentinus praesertim caloris diu praegressi iu frigus transitus consuetim tantoque facilius generant dysenteriam, quo minus homines adaequato contra hos noxas muniuntur vestitu, quo exaltata magis est canalis intestinalis sensibilitas ac irritabilitas. Hinc dysenteria praesertim aestate ad finem vergente et autumno prodit epidemica, si dies calidos vesperae sequuntur frigidae, et si tempori aestivo calido frigidum repente succedit aut frigido-humidum. Altera causa simultanea nisi dysenteriam sola efficiens, ad eam generandam saltem concurrens in immodico fructuum horraeornm imprimis immaturorum usu invenitur. Sporadice dysenteriam excitare complures observantur potentiarum, fortem in tractu intestinali irritationem, nec non inflammationem causare valentium, et quidem;

a) idiopathicae: potulenta insufficienter fermentata, non defaecata, saburrae gastricae acrimoniam gerentes;

praecipue biliosae, vermes, purgantia fortiora, enemata acria in abusum tracta;

b) sympathicae: gravamina haemorrhoidalia, calculi urinales vesicam vehementer lacessentes, dentitio infantum difficilis. —

Therapia.

Therapia pro varia morbi causa et charactere diversa erit instituenda, cujus tamen explanationem fusiorem cuique dysenteriae speciei inferius exponenda adnectam.

Analogiae et differentiae.

Analogias, quibus aliis cum morbis collimare videtur, et differentias, quibus ab aliis distinguitur, respicientes, omnium primo diarrhoea, quacum facile commutari potest, pertractanda erit.

Quamvis in ambabus creberrimae et torminosae adsint alvi dejectiones, quamvis ambae iisdem causis procatarcticis produci possint, et una forma in alteram non raro transgredi soleat: tamen dysenteria a diarrhoea differtur eo, quod majoribus torminibus, perstanti tenesmo, sanguinis, non raro sinceri dejectione, majore intestinorum incitabilitate, nec non eminenti membranae intestinorum, serosae et muscularis adfectione incedere soleat; quum caeteroquin; in diarrhoea membrana mucosa praesertim sit adfecta.

Dysenteria quoque cum diarrhoea cruenta comutari potest. Ast in hac sanguis sincerus, nullis haeterogeneis mixtus, nec non absque febri comite evacuatur.

Differt porro hic morbus a cholera, in qua excretiones alvinae cum vomitu effreni, extremitatum praeprimis inferiorum spasmis, decursu rapido, febris ut plurimum absentia, observantur.

Ab haemorrhoidibus distinguitur eo, quod malum sporadicum, aut inordinatae, aut certis adstructum periodis recurrens, chronicum, propriis symptomatibus, nullaque febri stipatum sistant.

Morbus denique niger Hippocratis, fluxus coeliacus, diarrhoea purulenta, ulcerosa, lienteria sunt morbi, quibuscum dysenteria solummodo ab non versato in re medica confundi posset.

D i v i s i o.

More recepto, respectu habito ad febrim, dysenteria sthenica, asthenica vel cum febri continua, vel intermittente incedens, distingui solet.

Quoad complicationem in: simplicem, vel cum vermibus, saburra, interdum cum visceris alicujus phlogosi complicatam dispescitur.

Quoad decursum in: acutam et chronicam distinguitur.

Nonnulli quoque materiam, quae alvo evacuatur, respiciunt, eamque in dysenteriam albam, quatenus materia alba, lymphatica, concretiones filamentosae; membranaceae dejiciuntur et in cruentam, quaetenus sanguis merus vel sero intime mixtus profluit.

Nos autem eam in epidemicam et sporadicam dividimus.

De dysenteria epidemica in genere.

Nomine dysenteriae epidemicae illam intelligimus dysenteriam substantivam, quae a refrigerio capto suam trahit originem.

H y p o t y p o s i s.

In genere dysenteriam epidemicam signa prodroma tempore modo longiore, modo breviori antecedunt. Incipit plerumque horripilationibus et horroribus, extremitatum gravitate et tensione, doloribus colicis, praecipue in umbilici regione scindentibus atque lacerantibus, quos mox materiae biliosae, mucosae et acris per alvum evacuatio sequitur. Sub introitu mali alvus saepe obstipata est. Eodem tempore nausea, vomitus ipse, pondus in ventriculo cum dysphoria apparent. Quibus symptomatibus partim intensis, partimque novis adauctis ad alvum deponendam tenesmus, saepe de repente intrans, dolores atroces praeprimis intestinum rectum, quin imo et intestina reliqua crassa, et in altiori morbi gradu quoque tenuia occupantes exoriuntur; sub morbi initio alvus deponitur plerumque stercoracea, sed mox sub doloribus scindentibus et lacerantibus ad umbilici regionem sedem figentibus, materiae serosae, albicantis, mucosae intrat dejectio; majoribus morbi gradibus faeces ipsae retinentur penitus, et pauxillum tantum materiei viridescentis, puriformis, quandoque striis cruentis tinctae excernitur, hoc sub statu dysenteria alba vocatur. Frequentius tamen sanguis sincerus sat magna quantitate dejicitur, quae dysenteria rubra nominatur. Utplurimum alvo deposita tenesmus silet, tormina et reliqua symptomata graviora modo insigni remittunt; ast illa requies, aegro amica, non longo tempore durat; nam secundum morbi intensitatem mox omni

secunda hora, mox hora, imo quadrante hora, et nehac quidem praeterlapsa, reiteratur scena. Si autem hic morbus ad summum vehementiae gradum pervenerit, gravissimis sub torminibus et tenesmo continuo dolentissimo, aut plane nihil, quo in casu nomine dysenteriae siccae insignitur.

Ut plurimum febris characteris rheumatico-catarrhalis qua fidelis comes observari licet. Incipit nimirum cum horripilationibus, horroribus, qui sub morbi decursu saepius in conspectum veniunt, pulsu pleno et duro; facile tamen characterem inflammatorium, nervosum et septicum adsumit. Non raro contingit, ut aegri dysenteria correpti dysuria aut ischuria plectentur, vasa haemorrhoidalia ipsis intumescant, et saepius ob graves, quos patiuntur tenesmos intestini recti prolapsus producatur.

Aetiologia et nosogenia.

Dispositio. Quamvis auctores nonnulli in dysenteriam dispositionem denegare adnitantur, suam opinionem defendentes eo, quod dysenteria nullae aetati, nulli sexui nullique temperamento parcat, atque, etiamsi viri prae feminis, adulti prae infantibus ea corripiantur, hanc differentiam in momentis excitantibus, quibus illi crebrius exponuntur, esse quaerendam, dicant: nihilominus tantum absumus ut nullam in dysenteriam epidemicam dispositionem adsumamus, ut potius hanc, longe lateque super populum per influxus cosmicos, nostros effugientes sensus, diffusam, qua fit, ut nec temperamentum, nec sexus, nec aetas mortales certae terrae regioni adstrictos immunes reddant, utque morbus tali pacto momentis procatarcticis accedentibus longe lateque per populum disseminetur, omni jure agnoscendam esse existimemus. Teste experientia compertum habemus,

dysenteriam epidemicam sub fine aestatis et tempore autumnali, ubi dies calidissimi saepe sunt, noctes brevissimae aeque calidae, ad primam vero auroram frigidissimi cadere solent rores, utplurimum observatum fuisse grassantem. Tempestate nimirum calida plus minus humida processus vitalis acceleratus quidem est; ast vigore suo privatus; digestio segnis, chylificatio imperfecta, charactèr sanguinis arteriosus justo minus evolutus; se-et excretiones imminutae et partim suppressae, transpiratione cutanea sola ultra normam adaucta, nutritionis languor. Organismus ita constitutus si repentinam subeat perfrigerationem, vitae cutaneae fervor subito infringitur, turgor, rubor et cutis calor evanescunt, transpiratio modo profusa nunc supprimitur: hinc renisus vitalis in membranarum systemate et visceribus cum his proxime nexis, praecipue tractus intestinalis, ex oppositionis dynamicae lege ad gradum altiorem extollitur, quo fit, ut secretio tubi alimentaris et viscerum vincinorum secretio adaugeatur, qualitas humorum secretorum mutetur, insolita vitae sensiferae et irritabilis hic locorum exaltatio, et inde torminum atque tenesmi, in dysenteria solemnium exsurgat. Hisce rite perspectis sequitur, homines, qui facile diarrhoea et torminibus e causis minimis corripiuntur, dysenteriae maxima ex parte obnoxios esse; hinc quoque illi, qui perfrigerationi praecipue frigore humido inductae saepe saepius exponuntur, eximiam in dysenteriam ostendunt dispositionem.

Causae excitantes. Praecipuum imo in quibusdam casibus unicum refrigerium humidum corpori aestuanti repentine admissum sistere momentum dysenteriam excitans, experientia confirmatum habemus. Sic dysenteria epidemica sub fine aestatis et tempore autumnali, praecipue apud rusticos, si sub messi, fructuum horraeorum collectione, sub vindemia etc. multum aestuan-

tes et sudantes per potum egelidum haustum, aut in humo decumbentes subfrigido, humidoque, utplurimum solet observari. Simili modo ad morbos castrenses numerari meretur, quum nimirum milites in castris summis temperaturae vicissitudinibus, modo aëri aestuanti, modo rori et pluviis continuis humido utplurimum expositi sunt, quamobrem, quod facillime refrigerium capiant, non mirandum.

Multum quoque fructus horraei nondum maturi qua potentiae dysenteriam producentes a nonnullis criminantur, quum ab aliis usus eorum in dysenteria remedium saluberrimum praedicetur. Clar. P. Frank dicit: „qui dysenterias iis adeo temporibus, quibus aut nulli sunt ex illis aut quo fructus necdum ulli gustari potuerant, epidemice tamen per integras provincias grassari viderunt; illi non vano hanc causam argumento rejicerunt.“ Secundum alios fructus horraei, imprimis immaturi, acerbi dysenteriae ansam praebent, quamvis et salutarem suum effectum in eodem morbo sub certis conditionibus non denegent; id tamen certum, fructus horraeos maturitatem assequutos dysenteriae genesi nec unquam favere, quamvis Fried. Hofmannus (pars I. de diaeta §. 14.) originem dysenteriae plerumque a maligno venenato rore, qui fructus agrestes obsidet, derivandam esse existimet. Id tamen adnotandum est, fructus horraeos nequaquam vim dysenteriae efficiendae peculiarem ostendere, sed insignem in hunc morbum producendum apud nos influxum ex eo facile explicandum esse censemus, quo tempore maturescentes plurimis ex plebe nutrimentum solemne et principale largiuntur, eodem etiam dysenteria epedemice nostra regione grassari soleat. Ex hoc tamen non sequitur usus fructuum horraeorum unicam et peculiarem sistere causam dysenteriae epidemicae, nihilo tamen minus alio cli-

mate aliam potentiam quamdam intestinis nocivam, ibidem morbis contagiosis adnumerare consuescunt.

A multis auctoribus per eminentiam inculpari solet aër corruptus, impurus, effluviis animalium, vel vegetabilium fracescentium contaminatus; hinc effluviis paludum, aquarum stagnantium, in quibus animalium et vegetabilium putrescentia solito observatur, cloacis, sentinis, speluncis, locis, ubi post proelium ingens saepe cadaverum humanorum numerus equorumque putrescunt, dysenteriae epidemicae origo adscribi solet. Quamvis hic morbus in regionibus paludosis, nosocomiis, magno aegrorum numero impletis, male gubernatis, in ergastulis omnium frequentius exoriri soleat: tamen hic locorum illum solummodo, si influxus aëris atmosphaerici ignoti, et praeprimis repentina caloris cum frigore, praecipue humido alteratio suam contribuant symbolam, initium suum capere, ingentesque his sub circumstantiis edere strages, experientia eruditorum omnis aevi compertum habemus. Tali pacto, hasce substantias putrescentes nequaquam solas huicce malo provocando pares esse, sed hos multum ad hunc morbum producendum conducere, ejusdem periculum, malignitatem, et vim contagiosam augere, facillimo modo deducendum erit.

Causis occasionalibus quoque adnumerari merentur: nutrimenta indolis malae corrupta; panis non sat fermentatus e farina putrescente, aut corrupta paratus, cibi animales putrescentes, alio quocumque modo corrupti; hepar plurimorum animalium; fructus leguminosi, aqua vermibus, insectis, scatens; vinum e pomis paratum, recens, non sat bene fermentatum; cerevisia ejusdem indolis, aut jam in acidam fermentationem transgressa; abusus medicaminum drasticorum; paucis, omnes aliae substantiae, quae irritationem membranae intestinorum mucosae provocare valent.

Quum multos homines a dysenteria eodem tempore correptos fuisse observatum sit: multi medicorum eandem morbis contagiosis adnumerare consuescunt. Contagii hoc in morbo rationes nunc satis conspicuae, nunc nullae esse videntur. In castris, exercitibus, in carceribus, ergastulis, nosocomiis, apud plebem, domibus angustis, impuris compressam, et ingressu prior et frequentior dysenteria esse consuevit. Ast vero nec haec quidem perpetua sunt. Interdum pauci ejusdem habitaculi incolae, interdum plures hoc a morbo plectuntur. Solitariae exempla dysenteriae, et quae in alios, quamvis sibi diu expositos, nequaquam transiverit, haud raro occurrunt. Nihilotamen secius defuerunt auctores, ut celeb. Stollius, qui, quamvis contagiosam dysenteriae vim denegat, tamen praeter contagium variolosum, morbillosum, scabiosum et venereum, nullum aliud ne illud pestis quidem admittit. Clariss. van Swieten medicum dysenteria moribundi foeces examinantem, tetro illarum halitu adflatum, illum in eundem morbum illapsum asserit; huic quoque opinioni Elnerus et Degnerus dediti sunt. Quippe, qui multos, dum linteamina dysentericorum faecibus conspurcata mundarent, sibi huncce morbum contraxisse observarunt. Quamvis auctores hac de re minus consentiant, tamen veritatem in medio positam existimamus; dysenteriam quidem per se contagiosam non esse, sed sub circumstantiis fieri posse. Nam si sub morbi exordio, aut decursu dysenteria septorrhepsiam involvit, ut et in omnibus morbis, sub quorum decursu processus quidam liquationis evolvitur, omnibus materiis excrementitiis, et praesertim humoribus secretis peculiaris conciliatur virulentia, quae nomine semicontagii insignitur. Hoc tamen notari meretur, contagium dysentericum dysenteriam non producere, nisi cum intestino recto, vel saltem cum contigua tubi alimentaris membrana mucosa in contactum

venerit, quod in aliis morbis contagiosis: medorrhoea virulenta, catarrho etc. quoque observare licet. Clariss. Haase, Raimann, Richter, P. Frank et Vogel solam dysenteriam putridam et putrido-nervosam ad contagiosas relegant.

Variae dantur de dysenteriae causa proxima opiniones. Hippocrates, Celsus et Galenus tormina ex intestinorum intus exulceratione dysenteriam nominant. Rolander animalcula propria parasitica pro causa dysenteriae assumit. Berends et Frank analogiam dysenteriam inter et cynanchem membranaceam eruere adnisi sunt. Nos autem cum Raimanno et Richtero dysenteriam adfectionem catarrhoso-rheumaticam intestinorum imprimis crassorum esse exsistimamus.

Hicce morbus nimirum et cutis per refrigerium functione turbata progeneratur; sedem suam in intestinis figit, pluribus membranarum stratis: pituitosa, musculosa, serosa compositis, in statu irritativo paraphlogotico eorundem consistit, succi enterici secretionem (simili modo ac muci in catarrho) quantitate et qualitate alienatam ostendit; doloribus (uti in rheumatismo) scindentibus, lacerantibus iesignitur; accedit adhuc, quod et aliarum partium catarrhales, aut rheumaticae adfectiones, uti saepissime una cum hoc intestinorum malo exoriri, idemque comitari, non raro jam praecedere soleant. Praedominatur in genere rheumatica adfectio, unde dysenteria epidemica nomen rheumaticae cepit. His ergo rite perpensis sequitur, dysenteriam catarrhi atque rheumatismi speciem sistere, sede sola a vulgari diversam.

Prognosis.

Dysenteria epidemica ad morbos graviores in genere pertinet, non tamen semper ad funestos. Bonum erit utique, si rariores sint, aut flant alvi excretiones, faeces vero copiosores, pultaceae, et cum dolorum moderamine deponantur. Facilius sanantur aegri, quibus domi res non sint angustae. Dysenteria rheumatica simplex levior, quam biliosa et hae ambae minus periculosae, quam inflammatoria, aut putrida esse solent. Maxime exitus morbi bonus, malusve a febris charactere dependet. Quae simplex catarrhalis est, et uti neuterici volunt, generis neuterius, prognosis fausta statui potest. Eo magis verebimur, quo magis febris characterem inflammatorium assumit, et quo magis morbus sub enteritidis forma adparet. Maxime autem verendum, si febris symptomatibus, characterem nervosum, aut septicum denuntiantibus incedit, quibus dysenteria, quam vis affectio localis non adeo sit gravis, utplurimum lethalis fieri solet.

Quandoque malum in principio benignam simulat diarrhoeam, pedetentim vero malitiose et cum magno aegrotantis periculo dysenteria emergit. Dysentericis vomitus biliosus in principio malus est.

Si singultus progressu accedat, lethale est; si angina, itidem lethale. Aphthae vero, et difficultas deglutiendi mortem imminere denuntiant. Observandum est, intempestive suppressa dysenteria quosdam in pleuritidem, alios in insaniam incidisse. Est, ubi prima dysenteriae epidemicae invasio quam plurimis, sub fine vero paucis, lethalis fit; inverso prorsus ordine haec res interdum incedit, vel et medio regnantis morbi tempore major erit civium jactura. Hyberno redeunte

gelu morbus plerumque disparet, illis nempe, quos chronica nunc diarrhoea divexat, exceptis. Dejectiones quo crebriores et pauciores sunt, eo majus periculum instat. Aetas tenerior, provecta nimis, pubertatis instans periodus, graviditas, puerperium, corporis habitus debilis, pusillanimitas, dysenteriae pericula augent. Profluvium cruoris ex ano etiam sat multi, sub hujus morbi exordio proficuum esse solet. Non rarum ut febris lenta nervosa dysenteriam sub initio satis mitem offerat, atque sub symptomatum adparatu non magno insidiose blandatur, eunde vero larvam mox abjiciat, ac improvisa nunc struat pericula. Quodsi alvi dejectiones crebriores observantur, quo majoribus tempore intermedio aegri crucientur doloribus et tenesmo pertinaciori, quo minus per alvum evacuatur: eo magis timendum. Omnium periculosissima est dysenteria sicca. Abdomen generosum, dolorificum cum minima contrectatione, sensus aestus interni cum extremis frigidis, vomitus effrenis, maculae in cute nigrae, aphthae in ore et pharynge, malum sunt augurium. Infausta erit prognosis, dum vires cito labuntur, si pulsuum frequentia atque debilitas increscunt; si motus involuntarii, carphologia accedunt; si facies collabitur, si oculorum splendor amissus comparet; si aeger soporosus, oris antro siccissimo nigrescente, oculis semiapertis, in dorso, cruribus inverecunde divaricatis jacet, ac praeviis borborygmis, deleto sphincteris ani officio, alvum liquidam, nunc multam, fuscam, subnigram, foetidissimam, inscio amittit.

Decursus et terminationes.

Dysenteria epedemica uti quilibet alius morbus vel in sanitatem vel recidivam, vel in alium morbum, vel denique in mortem abit.

In sanitatem. Fortuna favente dysenteria epide-

mica vel crisi perfecta, aut idiostatica, aut apostatica, vel solummodo lysi judicatur. Tormina nimirum, tenesmus et febris paulatim decrescunt, sudores cutanei largi, alvusque frequens faeculenta intrant, lingua prius sicca humescit, urinae large fluentes copiosam deponunt hypostasin et sanitas septem vel quatordecim diebus usque quinque hebdomadibus elapsis revertitur.

In alios morbos. Non raro fit, ut aeger dysenteria epidemica correptus aliis tradatur morbis. His adnumerari merentur: diarrhoea, dysenteria chronica, quae saepissime omnem medici spem eludit et aegrum lente quidem, sed vix non certe morti consignat. Nonnunquam dysenteria chronica in diarrhoeam transit. Huc quoque pertinet tenesmus chronicus, hydrops praesertim in feminis, vel universalis, vel oedema pedum, femorum, item anasarca, aut tantum leucophlegmatia, enteritis et hujus exitus: induratio, suppuratio, exulceratio, ipsaque gangraena; transitus dysenteriae e charactere activo in passivum, in putridum et nervoso-putridum; haemorrhoides; morbo derepente subsistente quandoque dysuria, stranguria, aut ipsa ischuria nascitur.

Quandoque fit ut dysenteria cursum finitum iterum incipiat.

In mortem. Hanc aut gangraena, ant repentinus, virium lapsus, aut colliquatio, aut haec priori nupta, aut varia morbi posthuma mox cito, mox lente adducunt.

T h e r a p i a.

Cura radicalis dysenteriae epidemicae quatuor innititur indicationibus.

Prima indicatio est: causae morbi occasionalis vim infringere, hanc et quaecumque nocere possunt, amovere, eorundemque reiterationem evitare. Omnium primo cavendum, ne causa morbi identidem repetatur; hinc praeprimis necessaria est aequalis temperatura, ne aeger perfrigerationem, quae in nullo fere alio morbo tam nociva reperitur, quam in dysenteria epidemica capiat; hoc tamen difficili modo propter frequentem alvum deponendi necessitatem attingi potest, qua ex causa suadendum est, ut aegri dysenteria decumbentes in excipula supposita alvum ponere jubeantur. Ni hoc fieri posset, aeger non nimis calide vestitus sellam perforatam penes lectum positam adeat. Aeger abstineat ab omni potu frigidiusculo, aëris frequens instituatur renovatio, excretorum celera amotio procuretur, separatio aegrorum, si eorundem major sit numerus, jubeatur, ne aëri impuro putrescenti producendo et contagii evolitioni occasio detur. Quae omnes regulae magna cum praecautione, in castris, nosocomiis, aut ergastulis, in quibus praemulti saepe hoc morbo decumbunt, observandae erunt.

Secunda indicatio causam morbi proximam tollere jubet, cui indicationi diversa ratione satisfaciendum erit, quum nulla existat methodus antidysenterica universalis. Quamobrem secundum diversum dysentericae characterem specialem, gradum, individui conditionem, morbi complicationem cum aliis, varia via eunda erit. Hinc non mirum, cur hic morbus modo remediis diaphoreticis, modo solventibus et antibiliosis, modo obvolventibus et antiphlogisticis, modo per os aut anum evacuantibus, modo stimulantibus sanetur; quorum remediorum specialem indicationem in expositione dysenteriae epidemicae specierum inferius adlato curatius explanabimus. —

Tertia indicatio est, ut molimina critica rite dirigantur.

Quarta indicatio ad reconvalescentiam refertur, cui secundum dysenteriae profligatae specialem characterem, diversa ratione satisfaciendum erit. Praecipuum medici opus in eo versetur, ut morbi recidivi exortum, quantum potest, praecaveat. Quamobrem morbi evolutionem aëris ambientis puritate, victu nutriente, eupepto et salubri, modico vinosorum, hinc inde amaro-aromaticorum usu felici cum eventu praecavebitur. Simili ex ratione quaecumque corporis exaestuatio, temperaturae vicissitudo, omneque refrigerium sollicite cavendum.

Quum autem non omnis dysenteria crisi benigna resolvitur, sed metastasi saepe, aut metaschematismo finitur; hinc diversa, quae ex his oriuntur mala, diversum exigunt tractamen.

Diarrhoea, quae saepe dysenteriam sequitur, ad atonicam intestinorum adfectionem robore suo destitutorum pertinet, quod omnis doloris absentia demonstratur. Indicantur hoc in casu medicamina roborantia, stomachica, ast semper mitioribus ascendendo ad fortiora incipiendum erit, quum alioquin notum sit, medicamina roborantia fortiora nimis vehementer ventriculum et intestina irritare et offendere, quum e contrario mitiora haec viscera stimulo blandiori excitent et vitalitatem eorundem depressam erigant. Magnam in hisce casibus laudem meretur radix Arnicae, mox minori, mox majori dosi propinata, prout major minorve receptivitas exigit. Non tamen desunt casus desperati, in quibus stipticis quoque succurendum erit. Multum etiam imo et plurimum a regimine diaetetico artis regulis subjecto erit exspectandum.

Dysenteria chronica, quae saepe dysenteriam epidemicam acute decurrentem excipit, in lenta intestinorum inflammatione consistens non absimilem priori curam exoptat.

Tenesmus chronicus secundum artis medicae regulas erit tractandus.

Hydrops dysenteriam saepe numero excipiens, charactere atonico incedens, remediis diureticis, acribus, tonicis, systema lymphaticum irritantibus diverso modo cum aliis combinatis felici saepe effectu tractabitur.

Dysuria aut *ischuria*, quae saepe dysenteriam concomitant, characteris modo rheumatici, modo inflammatorii, aut per humorum, secretorum, imprimis bilis acrimoniam inductae diversa medendi ratione tractabuntur. Quae autem hujus morbi sequelam sistunt ex metastasi rheumatica, inflammatoria ortae, emulsis interne assumtis, emollientibus, cataplasmatibus ad pubis regionem emolientibus adplicatis ut plurimum sanabuntur.

De principalibus dysenteriae epidemicae speciebus.

Quamvis multi auctores dysenteriae epidemicae modo pauciores, modo plures species assumere consuescant: nos tamen dysenteriam rheumaticam, biliosam, inflammatoriam, malignam et verminosam, sub quibus formis frequentissime solet occurrere, quid quam fusius pertractabimus.

A. Dysenteria rheumatica.

Nomine dysenteriae rheumaticae, seu simplicis, illam intelligimus intestinorum adfectionem rheumaticam, quae non in statu eorundem inflammatorio consistit, sed

solummodo vitam membranarum sensiferam et irritabilem insigni modo exaltatam prae se fert, quin vita earundem vegetativa aliquam experiatur mutationem.

Vocatur hic morbus etiam dysenteriae catarrhoso-rheumatica; rheumatismus intestinorum; dysenteria autumnalis, febris dysenterico-rheumatica (Stoll).

Hic morbus incipit cum lassitudine, cephalaea frontali, gravedine, lingua alba, tensione molesta in cervice, in extremitatibus; accedunt deinde tormina et tenesmus leviores, stato tempore perfecte intermittentes, statoque cum dejectionibus rursus recurrentibus; alvi dejectiones sunt creberrimae, aquoso-mucosae, morbo jam diutius durante non raro sanguine tinctae. Febris comes luculentas et magnas agnoscit intermissiones, faciem modo rheumaticae, modo catarrhosae praeseferens. Accedunt saepe alia symptomata catarrhalia, aut rheumatica, quamobrem tussis, coryza, otalgia, odontalgia, dysphagia hunc morbum concomitare solent.

Quae dysenteriam rheumaticam a catarrhali distinguere solent, differentiae sequentes sunt: In dysenteria rheumatica tormina et tenesmus acriores, dejectiones mucoso serosae parciores, quam in catarrhali esse solent; utramque symptomata vel catarrhalia, vel rheumatica variarum partium praecedunt et concomitantur.

Quodsi sub morbi initio medicina correspondens adhibetur, non raro intra nychthemerum, motis sudoribus, absque omni periculo morbi alius insequuturi solvitur. Incongrue, aut serius profligata, favente quoque dispositione, in dysenteriam ut plurimum abit inflammatoriam nec non in dysenteriam chronicam, quae ambae facili modo metastases ad partes nobiles producere valent.

In sanando hoc morbo in compescenda sensibili-

tate et irritabilitate instestinorum adaucta versetur necesse est; hinc tuto feliciterque potulenta mucilaginosa, tepidule propinata, membranas irritas et muco continuo secedente privatas obvolventia: malva, althaea, salep, verbascum, emulsa amygdalina, seminum papaveris albi, mucilago gummi arabici, mixtura oleosa cum gummi mimosae parata adhibentur. Multum salutaria quoque leniter diaphoretica: sambucina, aliaque aromata leniora, opium, pulvis Doveri, radix ipecacuanhae, quum tractus intestinalis sensibilitatem nimiam obstupefaciant, tum diaphoresin adjuvant, observantur. Quodsi autem tormina celerius redeunt, minusque perfecte intermittunt, quo validiores motus febriles, hinc quo major status intestinorum irritativus observatur: eo magis necessitas urget, ut ab opiatis, alterantibus et stimulantibus abstineatur, et solummodo mucilaginosis et lenientibus morbus profligatur; quodsi autem dolores quamvis graviores perfecte intermittant, alvi dejectiones crebriores urgeant et febris nulla adsit, nullum habetur prae opio medicamen praestantius.

Externe enemata emollientia, involventia, sedantia, tepidule et pauca quantitate injecta, cataplasmata emollientia abdomini admota, unguenta oleosa, anodyna, abdomini illinita, nec non balnea tepida his de die in usum vocata optime conducunt.

Regimen diaeteticum respicientes curandum est, ut aër purus sit, siccus, moderate calidus; ut aeger fruatur solummodo jusculis carnium tenuibus; in lecto sufficienter tectus decumbat, utque ipsi vas suppositorium pro singula alvi evacuatione in lectum porrigatur.

B. Dysenteria biliosa.

Sub dysenteria biliosa epidemica illam rheumatismi intestinorum speciem, quae nota biliosa conjuncta est, intelligimns.

Incipit cum cephalea vertiginosa, anorexia, siccitate et flavedine linguae, amarore oris, dolore ventriculi levi fugaci, abdominis et similibus; accedunt deinde horripilationes, quos paulo post gravissimus aestus; comite cephalaea dira sequitur; febris exoritur vehemens cum pulsibus frequentibus, plenis, nunc liberis, nunc suppressis, cum siti ingenti in accidula directa; adsunt signa, quae hepatis statum irritativum, bilem nimis copiosam et acrem in primis viis aut sursum aut deorsum turgescentem, quae materiae biliosae in sanguinem regressum comprobant. Oriuntur dolores abdominis momento ante dejectionem aut sub ea ipsa intensissimi, qui eximie alvi depositione peracta remittunt. Exsurgunt saepe nausea, vomituritiones, imo ipse vomitus biliosus; alvi dejectiones frequentissimae coloris flavi viridis, quin imo sanguinolentae adparent, quae aegro dolentissimum tenesmum provocant. Urinae missae colore croceo tinctae observantur.

Haec dysenteriae species transitum in dysenteriam bilioso-inflammatoriam, aut bilioso-septicam amat; quandoque in febrim intermittentem quartanam, aut tertianam abire solet.

In hac dysenteriae epidemicae specie omnium primo saburra biliosa, si sursum tendat, vomitorio, si vero ventrem infimum ei intestina occupet, eccoproticis, antibiliosis expellenda erit. Saburra evacuata ad remedia alterantia, imo et opiata, et acidula transeundum. Nota biliosa remediis solventibus acidulis per longum saepe tempus in usum vocatis debellenda erit.

Regimen diaeteticum antibiliosum et antiphlogisticum simul sit. Victus nimirum tenuis, fructus horraei aciduli, succi uvarum pressi, malorum, cerasorum aegro optime conducent.

D. Dissenteria inflammatoria.

Nomine dysenteriae inflammatoriae epidemicae intestinorum, imprimis crassorum inflammationem catarrhoso-rheumaticam, facili modo in phlegmonosam transeuntem, intelligimus.

Plerumque absque signis prodromis, sed de repente febri valida stipata intrare solet. Febris nimirum valido horrore incipit, quem urens excipit calor; pulsus tanguntur frequentes, pleni, duri, fortes, quandoque et praeprimis, si enteritidis faciem induit, exiles, contracti, spastici, tensi; cutis sicca ardet; lingua arida, sitis tantalea, cephalaea dira exoriuntur. Dolor in abdomine fixus et assiduus, vix remittens, et si remittet, saltem non intermittens, aegrum abdominis et levissimum adtactum tympanitici, tumiduli reformitantis vehementissime vexat. Accedunt saepe doloris imanis causa convulsiones, tremores artuum et lypothimiae; miser vultu distorto, cruribus surisque attractis, furibunde vel taciturne desipiens, sudore madidus frontali, involuntarios exprimens ejulatus, summa anxietate correptus jacet. Urgetur frequentissima ad alvum deponendi cupiditate, quae vero deponuntur, vel parcam tantum cruoris quantitatem, vel plane nihil continent. Ructus inanes, vomituritiones repititae ipseque vomitus doloribus vehementibus vehementiores addunt. Urinae parcae et rubrae evadunt.

Corripit hic morbus homines juniores, robustos, plethoricos, constitutione epidemica phlogistica imperante, tempore ut plurimum hyberno, vernali, vel autumnali, oritur saepe acrimonia humorum interaneorum aut inepta, vel prava medicina stimulante, adstringente narcotica etc.

Solvitur fortuna favente inter septem dierum spatium evacutionibus criticis, aut aegrum non raro gangraena accedente e medio tollit.

Therapia uti in omni enteritide generosior, antiphlogistica instituenda est; sed ab omnibus remediis salinis et irritantibus cavendum erit. Indicantur sanguinem evacuantia, involventia, lenientia; externe cataplasmata emollientia, balnea etc.

D. Dysenteria maligna.

Sub dysenteriae malignae titulo quamcumque dysenteriam charactere adynamico incedentem intelligimus. Agnoscit hic morbus modificationes varias, quibus adnumerantur sequentes: dysenteria putrida, nervoso-putrida, nervosa, et harum cum reliquis dysenteriae speciebus combinationes praecipue dysenteria inflammatorio- et bilioso-putrida.

Existunt dysenteriae malignae duae species: primaria nimirum seu originaria et secundaria.

Symptomata dysenteriae malignae primariae sunt sequentia: Omnium primo subitanea virium muscularium praeprimis prostratio sine causa cognita, magna praecordiorum anxietas, indifferentia erga omnes res externas, animi dejectio exigua, morbique patientia et tolerantia facilis exoriuntur. Dolor in intestinis cum periculo, quod minatur, pari passu non ambulat; nam sunt saepe aegri, qui de dolore vix queruntur, quum e contrario aliis dolor multum perceptibilis sit, imo et intolerabilis; nonnullis abdomen meteoristice expansum, aliis molle est. Secessus alvi modo frequentissimi, mere aquosi, aut sanguinei, aut aquoso-sanguinei sunt, modo alvus ad nigrum, ad

flavum, aut ad viridem colorem vergens, materiam chocolatam et sanguinem referentem, admixtam habet; semperque ultra modum foetet; modo nil fere aegri deponunt, et intolerabili tantum tenesmo torquentur. Urinae sunt lutosae, turbulentae, spissae et stranguriosae, aut earundem integra retentio animadvertitur. Febris continua remittens inordinatas amans exacerbationes adest; pulsus ut plurimum sunt debiles, myuri, parvi, inordinati; cutis aspera, sicca, calor ejus mordax, sudore viscido tecta; lingua arida, fusca, sitis vix fallenda; dentes sordidi; cephalaea occipitalis obtusa, temulentia capitis cum stupore. Accedunt saepe singultus, nausea, vomitus materiae, viridis fuscae, foetidissimae. Superveniunt aegro deliria convulsiones momentaneae crebra animi deliquia, haemorrhagiae e cavo narium, oris, urethra, utero jam primo hinc inde die, quandoque miliaria, petechiae, morbilli, et aphthae oris.

Occurrit hic morbus apud individua malis praegressis, aerumnis etc. jam antea multum debilitata; in locis, ubi aër praeterquam quod aestuet, simul humidus est, aut corruptus, praeprimis vero ubi effluviis putrescentibus scatet.

Dysenteria maligna secundaria iisdem fere symptomatibus incedens tardius decurrit, difficile sanatur, et si resolvitur, convalescentia tardo passu insequitur.

Dysenteria maligna therapiam expostulat stimulantem: camphoram, valerianam, angelicam etc.; roborantem: corticem peruvianum, cascarillae, simarubae, radicem colombo, lichenem islandicum, nec non radicem arnicae, quae alvum pedetentim et lente coërcent et tormina componunt; nec non antisepticam, acida praeprimis mineralia: sulfuricum, nitricum, muriati-

cum. Si aegris summa exhaustione consumtis sanguis largus meracus abit, ipsa stiptica: alumen, radix tormentillae, bistortae, succus catechu, rad. ratanhiae etc. expostulantur. Si tormina gravissima, sensibilitas tractus intestinalis summa, meteorismus, tenesmus molestismus etc. excretiones alvinae continuo adsunt, nullum efficacius opio habetur medicamen. Si phlogosis intestinorum simul adest, non alia, quam antiphlogistica medendi methodus simul in usum vocanda erit. Aliae combinationes correspondentibus medicaminibus profligandae erunt.

Regimen diaeteticum expostulat, ut aër sit purus, temperies moderata ad frigidiusculam potius accedens, ut summa servetur mundities, utque suffumigia cum vaporibus acidis, ipsoque chloro instituantur. Victus sit nutriens, eupeptus; potus mucilaginosus, leniter excitans, venosus, et, si nisus in liquationem adest, vinum quoque rubrum concedatur.

E. Dysenteria verminosa.

Existit quoque praeter adlatas dysenteriae epidemicae species alia sic dicta verminosa, alio sub coelo frequentissima. Quodsi sub dysenteria vermes secedunt triplex casus observari licet.

a) Fit nonnunquam, ut praesente morbo verminoso ex irritatione intestinorum per vermes inducta dysenteria oriatur. Haec vermibus expulsis utpote symptomatica sanabitur.

b) Existunt saepe morbi, uti: dysenteria epidemica biliosa, inflammatoria maligna, in quibus ab aegris vermes, quin ulla in hisce subjectis morbi verminosi vestigia ante haec animadversa fuerint, vomitu

ejiciuntur. Hoc symptoma morbum facile exasperare potest, quin tamen ad eundem procreandum, aut dijudicandum aliquid adferat, quin therapiam mutet.

c) In regionibus depressis, paludosis, in quibus morbus scrofulosus, verminosus, pituitosus endemice versatur, intrante autumno et tempestate nebulosa dysenteria verminosa epidemica grassans observari licet.

Quamobrem si homines ibi locorum eo, quo consitutio epidemica dysenteriis producendis favere solet, tempore refrigerium subitaneum admiserint, dysenteria non simplici, sed symptomatibus febris verminosae incedente facillimo modo corripiuntur.

Cura hujus dysenteriae epidemicae speciei cum illa febris pituitosae et verminosae omni ex parte collimabit.

Theses defendendae.

I.

Motus et terror quam maxime morbos epidemicos et contagiosos propagare valent.

II.

Quodlibet plantarum genus propriis vexatur insectis.

III.

Morbus naturae medicatrici non cedens, insanabilis.

IV.

Iter pedestre corpus et animam sanat.

V.

Princeps omni intuitu; nulloque alio supplendum subsidium in pneumonitide acuta sistit venaesectio.

VI.

Lactatio sanctissimum matris officium.

VII.

Vomitus chronicus, eo crebrior, quo causa ventri est vicinior, et quo pastum citius insequitur, eo certius occupat illum.

VIII.

Solus amauroticus vere coecus.

IX.

Partus praematurus artificialis summam sibi vindicat dignitatem.

X.

Bona diagnosis aegro, prognosis medico conducit.

XI.

Sanitas prius noscenda, ut morbus cognosci possit.

XII.

Consultationes in praxi medica, summi sunt valoris.

XIII.

Datur et febris nervosa primaria.

XIV.

Status virium dux supremus in pyretologia.